



Nf. 24.

75
PRORECTOR
ACADEMIAE FRIDERICIANAE
**D. MICHAEL
ALBERTI,**

S, REG. MAI. PORVSS. AVLICVS ET CONSIST.
MAGDEB. CONSILIARIVS, MED. ET PHILOS.
NATVR. PROF. P. ORD. CET.

VNA CVM

DIRECTORE, CANCELLARIO,
SINGVLISQVE
PROFESSORIBVS

AD

SACRA NATALITIA
DOMINI AC SALVATORIS NOSTRI
IESV CHRISTI

DIGNE CELEBRANDA

CIVES ACADEMICOS
HVMANITER INVITAT.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
Typis IOANNIS GRVNERTI, Academ. Typogr.

PROFESSOR
ACADEMIAE ERIDICIANAE
D. MICHAEL
ALBERTI

S. REG. MAI. PORVS. AVLIQVS ET CONSIST.
MAGDVS. CONSULTIVS. MED. ET PHLOS.



DIRECTOR CELLARIO
PROFESSORIBVS

AD
SACRA NATALITIA
DOMINI AC SALVATORIS NOSTRI
IESV CHRISTI
CIVIS ACADEMICVS

HABE MEDICINAE
THEOLOGICAE





E timete! Ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum! Ita, CIVES ACADEMIAE DILECTISSIMI, incipit prima euangelii concio post natum CHRISTVM, omnis gaudii & solatii plena; eaque non a mortali homine, sed caelesti praecone, hoc est ab Angelo Domini hominibus adnuntiata. Postquam enim Bethlehemi natus fuerat, qui honorum omnium thesaurus, & vnicus veri gaudii fons erat; vt vsui esset, palam etiam reuelandus & adnuntiandus fuit. Primum tamen, ex consilio DEI, reuelandus non imperantibus huius orbis, vel principibus & doctis viris; sed contemptis & abiectis hominibus: vt pudefaceret DEVS summos ac sapientes huius saeculi, vt ne vlla coram eo caro glorietur. Erant ea nocte, quum Rex gloriae in obscuro stabulo nasceretur, in Bethlehemitica regione pastores excubantes, & vigilias noctis agentes apud gregem suum; & ecce Angelus Domini, qui Luc. I, 19. 26. GABRIEL nominatur, ex improviso adsiuit illis, & gloria Domini, seu diuinalux, ex Angelo prodiens, PL. CIV, 4. instar fulguris circumfulsit eos; & timuerunt timore magno. Sed dixit eis Angelus: Ne timeatis! Ecce enim adnuntio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, & vt recte SYRVS habet, vniuerso mundo, siue toti generi humano. QVIA NATVS EST VOBIS HODIE SALVATOR, QVI EST CHRISTVS, DOMINVS; IN OPPIDO DAVIDIS. Hoc autem vobis signum erit, inuenietis infantem fasciis involutum, iacentem in praesepi. Ita integram illam angelicam concionem ex Luc. II, 8--12. exhibuimus; cuius verba, vt merito memoria tenent, qui a Christo nomen habent: ita optandum foret, vt omnes ac singuli vim etiam & virtutem eorum vera fide & viuio sensu in pectore circumferrent. Ea vero si quis enarrare, & singula momenta plenissime exsequi vellet, res non vnus programmatis, sed magni operis foret; ita vt nec modum dicendi, nec finem reptura esset oratio. Quis enim breuiter eloqui satis possit timorem pauperculis pastoribus, ex subita adparitione caelestis nuntii, gloriaeque diuinae, quae in obscura nocte eos circumfulsit, splendore, & inprimis eae fragilitatis & indignitatis sensu incussum? Timuerunt timore magno. Quis vicissim paucis enarrabit cumulum istius gaudii, quod DEI nuntius ipse magnum dicit, & sine dubio obortum eis est, quando post illius discessum Bethlehemum vsque iuerunt, vt viderent factum istud, quod DOMINVS no-

tum fecerat ipsis? *Venerunt enim Bethlebemum festinantes, & inuenerunt Mariam & Iosephum, & INFANTEM, IACENTEM IN PRAESEPI. Eo autem viso divulgauerunt id, quod dictum ipsis fuerat de puerulo illo: & omnes, qui audierunt, mirati sunt ea, quae a pastoribus dicta ad ipsos fuerunt. MARIA vero omnia ista conseruabat, conferens ea in corde suo. Ipsique pastores reuersi sunt glorificantes & laudantes DEVM super omnibus quae audierant & viderant, prout ipsi dictum erat, Luc. II, 13-20.* En magnum pastorum gaudium, post magnam ipsorum consternationem & timorem! Huiusmodi vero gaudium iam olim etiam perceperat non solum ABRAHAMVS, ceu pater creditum, quum beatissimum Christi diem in spiritu praevideret; sed etiam Mater omnium viventium, Noachi parens, Rex David; immo quotquot inde a tristissimo primorum hominum lapsu, in nascendo mundi Salvatore, ex vera fide, spem & fiduciam positam habuerunt. *Magnum populo tuo reddidisti gaudium: gaudebunt coram te, sicut qui gaudent in messe; & quemadmodum exultant, quum diuidunt spolia. Nam iugum oneris eius, & baculum humeri eius, & virgam duriter eum tractantis confregisti, sicut tempore Midianitarum,* cet. laetus de hoc insigni natali die vaticinatur Iesaias c. IX, 2. seqq. Immo tantum fuit hoc gaudium, vt caelestes etiam angeli continere se quasi non possent, sed hymnis quoque & laudibus DEI coram neglectis pastoribus in agro prorumperent, & exemplo hominibus, isthac natiuitate beandis, praerent. *Repente enim adfuit cum Angelo multitudo caelestium exercituum, laudantium DEVM, & dicentium: Gloria in altissimis caelis sit DEO, & in terra pax; in hominibus beneplacitum!* Luc. II, 13. 14. Gaudeat igitur caelum, & exsultet terra: laenturque regiones & insulae magnae & multae! Pf. XCVII, 1. Non enim vni, sed omni populo hoc gaudium a DEO est paratum.

Verum pergimus, vt ad ipsum accedamus fontem, siue causam & originem huius gaudii; quam caelestis nuntius his verbis aperit: *Quoniam natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus, Dominus; in oppido Davidis.* Quae, si coniunctim spectentur, natiuitatem factam esse dicunt, qualis antea facta non erat, nec vnquam in posterum futura. Si vero singula consideraueris, vere quot verba, tot maxima rerum momenta ac pondera sub iisdem animaduertuntur: si praesertim, vt decet, cum aliis & Veteris Testamenti scripturis ea conferantur. Proferemus hic non omnia, quae dici possunt; sed aliqua tantum delibabimus: DEVMque precabimur, vt per festos hosce dies, sub sacro silentio & pia verbi tractatio-

statione, priuata ac publica, ipse nobis ita reuelet his fasciis in-
volutum filium suum, vt in nobis etiam CHRISTVS formetur. Gal.
IV, 19.

Vt vero dicendorum ordo aliquis obseruari possit, attenda-
mus in verbis huius propositionis 1. ad nexum, 2. ad subiectum, 3. ad
prædicatum, 4. subiectum Cui siue Quibus? 5. ad tempus, & 6. ad
locum natiuitatis. Quod igitur I. ad *nexum* attinet huius proposi-
tionis cum antecedentibus cælestis nuntii verbis, clarissime eum in-
dicat *caussalis* siue *rationalis particula*, QVIA, QVONIAM; nec potest
de eo cordato lectori subnasci dubium vel disceptatio. *Subiectum*
vero propositionis est II. natus filiolus Mariæ virginis παῖς ἁγίου &
μωϋσεως, quem ante nouem menses, ex diuina SPIRITVS S. virtute,
Nazarethæ in Galilæa conceptum, nunc completis gestationis die-
bus, Bethlehemi in Iudæa, secundum vaticinium Mich. V, 1. enixa
erat, & quia commodior locus ei non dabatur, in præsepi reposue-
rat, Luc. II, 4-7. *Tribus* vero admodum augustis *nomini*bus ille ab
Angelo Domini commendatur; quorum vt *primum* officium, ita
alterum vnctionem & integram personam, *tertium* vero diuinita-
tem notat: adeoque illustra hæc epitheta natum puerulum talem
ratione personæ & officii prædicant, qualem sine luce diuina & spe-
ciali reuelatione haud quisquam in obscuro illo stabulo quæsturus
fuisset. Vocatur enim diserte σωτήρ, SALVATOR, qui sit χριστός, κύ-
ριος, CHRISTVS DOMINVS, hoc est *Messias & summus Deus*. Tanta
certe vi pollent tria hæc nomina, vt significatorum axiomatum &
magnitudine & multitudine mens hominis vere obruatur. σωτήρ,
Hebræis מוֹשִׁיעַ, vt ipse CICERO in IV. contra VERREM obseruauit,
Græcis non tantum *Seruator* est, sed quod plus dicit, etiam SALVA-
TOR, hoc est, *is, qui salutem non solum conseruat, sed qui dat & re-
stituit*. Id vero nato huic puerulo adeo proprium est, vt ab isto
officio suo etiam nomen personæ suæ proprium gerat, ab Angelo
ex mandato DEI ei impositum prius, quam in vtero matris conci-
peretur, Luc. I, 31. c. II, 21. *Vocabis nomen eius IESVM: IPSE ENIM
SALVABIT populum suum a peccatis ipsorum*; ad Iosephum idem dixit
Matth. I, 21. Vnde merito dicimus eum illis Matth. VIII, 27. πο-
ταπὸς ἐστὶν ἔτος! *Qualis ac quantus hic natus est puellus? Si enim Sal-
uator est, eiusdem etiam est nature, cuius solius est saluare*; vt recte
colligit THEODORETVS in caput Iesaiæ XLIII. Est enim idem no-
ster puerulus IMMANV-EL, *Nobiscum Deus*, Ies. VII, 14. Matth. I, 23.
מִרְאִי מִלְאִי MIRABILIS & *Miraculum* hominis. Per se ex diuina natura
DEVS, & per vnionem hypostaticam Θεοῦ ὁμοῦτος. *Consiliarius,*
DEVS

DEVS fortissimus, Pater eternitatis, & Princeps pacis: qui principatum humeris suis sustinet, Ies. IX, 5. omniaque verbo potentie sue portat, Hebr. I, 3. & quae longe plurima coaceruari hic possent, si id institutum pateretur. Unde & saluare perfecte eos potest, qui per ipsam accedunt ad DEVM; semper viuens, vt interpellet pro eis. Hebr. VIII, 25. Nec enim est in alio quoquam salus: neque aliud nomen sub caelo datum inter homines, per quod oporteat nos saluari. Act. IV, 12. Et vt ipse ait: Ego sum via, veritas & vita; nemo accedit ad Patrem, nisi per me, Ioh. XIV, 6. ita diserte etiam, Ego, ego, inquit, Iehova sum: nec est praeter me SALVATOR, Iesa. XLIII, 11. coll. c. XLV, 21. 22. Proinde ex ipsa etiam angelica concione satis audiuimus & cognouimus, quod hic natus puerulus vere est mundi Saluator, & quod DEVS FILIVM SVVM misit mundi saluatorem. i. Ioh. IV, 14.

Est igitur idem noster Saluator etiam, quod *alterum nomen dicit, Χριστός, CHRISTVS* siue MESSIAS, Ioh. I, 42. hoc est, *tanquam omnium hominum sanctissimus* Dan. IX, 24. 25. 26. per assumptionem humanitatis in hypostasim Filii DEI, VNCTVS *oleo laetitiae praefconformibus suis* Pl. XLV, 8. immensis nimirum & infinitis Spiritus S. donis, Ioh. III, 34. *Spiritu Iehouae: spiritu sapientiae ac prudentiae, spiritu consilii & fortitudinis; spiritu cognitionis ac timoris DOMINI*, Ies. XI, 2. Nec pro se solo, sed pro omni populo & vniuersis hominibus: vt, quotquot in ipsam credunt, vnctionis eius fiant participes, & ex eius plenitudine gratiam accipiant pro gratia, Ioh. I, 16. *Vnctus vero est a)* vt SACERDOS, Pl. CX, 4. Zach. VI, 13. coll. typo Exod. XXIX, 7. vt secundum hanc functionem ipse, tanquam sacerdos & simul victima piacularis, obedientia sua actiua & passiua, ad mortem vsque crucis, humani generis debitum & reatum exfolueret, illudque hac lytri exsolutione redimeret, & DEO reconciliaret, spirituali ac aeterna salute beandum. *Vnctus b) est, vt PROPHETA*, Deut. XVIII, 15. seqq. coll. i Reg. XIX, 16. Pl. CV, 15. vt voluntatem Dei de nostra salute, eiusque aeternae reuelaret, & gratiae suae virtute nos illuminaret atque conuerteret. Tandem etiam *γ) vnctus est vt REX*, Pl. II, 2. 6. coll. typo i Sam. XVI, 13. qui tanquam caput Ecclesiae suae, ex omnibus populis collectae, hanc ita regeret ac tueretur, vt eadem, tanquam corpori suo mystico, gratiae dona ac bona, officio sacerdotali parca, & prophético adnuntiata, quam liberalissime conferret, singulaque membra, in sancta cum ipsis communiione, aeterna gloria bearet.

Quae omnia, quum de Saluatore nostro ex Scripturis sint certissima, verissime etiam ei competit *tertium epitheton, Κόπιος, DOMINVS,*


MINVS, Hebr. יהוה Mal. III, 1. vel ipsum IEHOVA, vt ad primum nomen ex Iesa. XLIII, 11. iam animaduertimus, item יהוה Dominus Deus Esa. VI, 1. יהוה יהוה Dominus Iehoua Exod. XXIII, 17. יהוה צדקו Iehoua, iustitia nostra Ierem. XXIII, 6. item Dominus totius terræ, Zach. IV, 14. quem & Dauid suum Dominum dixit Pf. CX, 1. & Moses Dominum dominorum, Deut. X, 17. cet. Sicut enim diuinæ naturæ Christi hæc adpellatio ex se propria est, ita etiam recens nato puerulo Θεωθρόπρω rectissime tribuitur, propter ineffabilem illam naturarum vnionem & communionem, indeque oriundam idiomatum communicationem; per quam PAVLVS ETIAM DOMINVM GLORIAE cruci suffixum scribit I. Cor. II, 8.

Verum isthæc, & plura etiam, nunc linquimus, etsi maxima & omni attentione dignissima, vt ad reliqua angelicæ propositionis verba, breuissimis consideranda, veniamus. Occurrit ergo in iis III. *predicatum* in verbo ἐτέχθη, NATVS est, heic scilicet sec. humanam naturam ex muliere, Gal. IV, 4. eaque illibata virgine, Matth. I, 23. Luc. I, 27. seqq. sec. promissum Protoplastis ab ipso DEO iam factum Gen. III, 15. & deinde clarius reuelatum, Iesa. VII, 14. Hoc enim nouum illud signum siue miraculum erat, quod DEVS in terra procreaturum se esse dixit, vt femina, sine interuentu maris, virum Messiam in vtero complecteretur, Ierem. XXXI, 22. Et sine controversia magnum est pietatis mysterium, quod DEVS conspicuus factus est in carne, I. Tim. III, 16. Quoniam igitur pueri participes fiunt, carnis & sanguinis humani, sic ipse quoque consimiliter partis imperium habet, h. e. diabolum; & liberos redderet, quot quot metu mortis per omnem vitam obnoxii erant seruituti. Non enim vtrique angelos adsumsit, sed semen Abrahami adsumsit: vnde debuit per omnia fratribus similis fieri, vt misericors esset & fidelis pontifex in his, quæ apud DEVM agenda forent, ad expiandum peccata populi. Hebr. II, 14. seqq.

Id vero est, quod IV. de Subiecto cui, siue quibus & quorum homo natus sit Saluator, breuissime quidem, sed maxima cum læticia pastoribus gratulatur Angelus Domini; quia, inquires, non nobis & lapsis angelis, sed vobis natus hodie est saluator. Neque solum vobis pastoribus, sed vobis HOMINIBVS; omni nimirum populo, immo vniuerso generi humano. Sicut enim per lapsum vnus Adami, primi hominis, contracta fuit maledictio totius humani generis; ita in Messia, ceu benedicto illo, & in solatium promisso, semine mulieris,

lieris, & ex Abrahami, Isaaci, Iacobi, Iudæ, Daudidis posteris nascituro *θεανθρωποι*, ceu altero Adamo & noua hominum stirpe spirituali, benedictio promissa fuit in omnes gentes per totum terrarum orbem diffundenda, Gen. XXII, 18. Rom. V, 12. seqq. ita, vt qui vera tantum fide ipsum recipiunt, ius & potestatem nanciscantur, vt *filii DEI* fiant, qui in nomen eius credunt. Ioh. I, 12.

Restaret, vt V. *de tempore*, & VI. *de loco* saluciferæ natiuitatis, quæ & ipsa non fortuito vel cæco casu, sed omnia ex diuina providentia & consilio acciderunt, aliqua adijceremus; verum charta finem dicendi requirit: vnde quod superest, vobis ex verbi diuini pia meditatione & auscultatione supplendum, & ad vsum transfertendum, non tantum relinquimus, sed magnopere etiam atque etiam commendamus. Non igitur per festos hosce dies deseramus sacras congregationes, aut alios profano strepitu turbemus, sicuti mos est quibusdam; sed adhortantes potius alii alios, acuumus nos inuicem ad amorem Christi, ad modestiam, & ad bona opera. Idque eo magis, quia non ad subeundum aliquid triste onus, sed ad magnum gaudium a cælesti præcone inuitamur. Ipsi angeli gaudent, & natum Saluatorem hominibus gratulantur. Si quis ergo hominum tanto hoc DEI munere ac beneficio non mouetur, vt sobrie, iuste & pie vitam transigat, haud dignus is est, qui inter saluandos numeretur: sua quippe culpa, velut Satanæ mancipium, propter peccatum, iræ DEI & inferno obnoxius atque damnatus. Ioh. III, 36. Ergo abiiciamus opera tenebrarum, & induamur habitu lucis; vt interdiu, compositè incedamus: Non in comissionibus & ebrietatibus, non in cubilibus ac proteruiis, non litibus & inuidia; sed induimini IESU CHRISTO, & corporis curam ne habere ad cupiditates explendas. *Non enim regnum DEI*, in quod ex potestate tenebrarum ereptos nos transtulit DEI Filius, *est esca & potus; sed iustitia, pax & letitia in Spiritu sancto. In his qui seruiunt Christo, gratus est DEO, & acceptus hominibus.* Et quicumque fecundum hanc regulam incedunt, pax super eos erit & misericordia, & super Israellem Dei. *Inmo gratia Domini nostri IESU CHRISTI, & amor PATRIS, & SPIRITVS SANCTI communitio sit vobiscum omnibus, DILECTISSIMI CIVES, vsque ad cælestia & æterna gaudia!* P. P. in acad. Frid. feriis natalitiis clo lccc xxvi.



Ja 1586

ULB Halle

3

001 508 687




St

VD 78

VD 78





75

PROR
ACADEMIAE
D. MIC
ALB

S. REG. MAI. PORVSS
MAGDEB. CONSILIA
NATVR. PRO
VN

DIRECTORE,
SINGV
PROFES

SACRA N
DOMINI AC SAL
IESV C
DIGNE C
CIVES AC
HVMANIT

HALAE MA
Typis IOANNIS GRV



fi.

fi

67.

